



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Qui ad sacram communionem admittendi sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Domini suntant, & die item cœnæ Domini ex antiquo instituto; ac præterea in Aduentu itidem præsent.

Eam præterea consuetudinem in parochia sua introducere curabit, vt quoties quis iter longum, aut infestum, remq; arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; qui item aliqua graui perturbatione, vel ex filiorum, coniugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex alia re aduersa affligitur, sacram communionem confessus suscipiat. Idemq; faciat, itinere, vel negotio difficili quod susceperit, confecto, vel quocunq; beneficio accepto; gratias Deo acturus huius sacramenti sumptione: in quo præcipua quedam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam piè referamus.

Curabit item, vt mulieres proximè parturæ hoc ipsum præsent, ac præterea cum primùm à puerperio ad Ecclesiam accedent.

De custodia sanctissimæ Eucharistiæ.

OMNEM etiam maximam diligentiam, curam, summumq; studium Parochus in eo ponat, vt, cum ipse tremendum hoc sacramentum, qua debet reuerentia, debitoq; cultu tractet, custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterq; suscipiat.

Sacrosanctam Eucharistiam, vt decentissimè fieri potest, in altari maiori custodiat, & asseruet.

Ad custodiendi asseruandiq; vsum habebit tabernaculum ad præscriptam rationem factum, quod quidem clauem (quam apud se tenebit, neque clerico committet) benè clausum habebit; nè, quod Ecclesiæ, & Christiano populo datum est ad salutem, maleficorum manus Diabolo operante ad perniciem abutatur: id quod etiam veteri canone cautum est. Alioqui si ea in re negligentiam ipse commiserit, graues sibi penas ex canonum disciplina propositas esse meminerit.

Eius ornatus exterior, & vestitus interior, & ostiolū erit ad præscriptam formam. Præterea tabernaculum ipsum, aptè, re-

ctè, & decenter, firmiterq; collocabitur, fixumq; altari inherebit: conopeo decetè operietur; atque ab omni alia re vacuum erit: neque præterea armarium vllum, etiam subtus habebit.

Pixides item habebit tanto sacramento dignas, ex canone ad præscriptum.

Lampadariū sit, in quo lampades accensæ semper colluceant; siq; non plures, vna saltem in conspectu sanctissimæ Eucharistiæ. Lumen verò lampadæ oleo oliuæ nutrietur; nec verò alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum eius generis haberi potest.

Sanctissimæ autem Eucharistiæ, pro parochiæ magnitudine, & communicantium multitudinè, particulas opportuno tempore habebit: sed quinque saltem perpetuò custodiet in pixide.

Eas autem octauo quoque die ad summum renouabit, præsertim quinta quaque feria, si commodu erit; in qua Christus Dominus hoc tantum sacramentum instituit: hostiæ autem adhibeantur recentes, & à viginti diebus ad summum confectæ. Id verò etiam præstabit, vt vbi recentes consecrauerit, veteres primò ministret.

Qui ad sacram communionem admittendi sunt.

OMNES fideles ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis ijs, qui iusta ratione prohibentur. qua de re, quæ à sacris doctoribus traduntur, cognoscere studeat. sed hoc loco hæc summam monentur.

Non admittuntur ad communionem heretici, schismatici, excommunicati, interditi, publicè criminosi, manifesteq; infames; vt meretrices, publici concubinarij, sceneratores, magi, sortilegi, blasphemii, & alij id generis publicè facinorosi homines. Atque isti quidem si ad poenitentiam & communionem admitti, postea in eisdem peccatorum sordibus versabuntur; ad huius sacramenti perceptionem rursus ne facile admittantur, quoad ipse Parochus qui illorum curam gerit, eos vitam & mores re ipsa emendasse perspexit.

Reis capite damnatis in tempore mi-

P 3 infra-

ministrabit: ager verò cum iudice, magistratuve, vt quo die illi corpus Domini sumplerint, ne eo die ob reuerentiam aficiantur vltimo supplicio.

Amentibus præterea hoc sacramentum non ministrabit; quamuis si antequam in insaniam inciderint, piam & religiosam animi voluntatem præse tulerint, licebit in fine vite ex decreto Concilij Carthaginensis, modò vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum non sit. licebit etiam, si quando ad sanitatem redeunt, & deuotionem ostendunt, dum in eo stata manent; si idem periculum absit.

Pueris item, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem, & gustum habent, sacramentum Eucharistiam non ministrabit.

Nec verò grandiuisculis præbebit, qui tunc primùm illam sumere voluerint; nisi aliquot ante diebus eos examinarit, atque instruxerit de vi & ratione huius tanti sacramenti, Id verò quò diligentius præstet in quadragesima per singulas parochiales familias delectum habeat puerorum, atque adolescentum, qui primùm in Paschali celebritate proxima sacramentum communionis sumpturi sunt. Ac præterea his omnibus in singulas quadragesimæ hebdomadas certos præstituet scrutinij dies, quibus illos non solum accuratè examinaret, sed instruat quàm diligentissimè.

De præparatione animi.

POPVLVM etiam docebit, qua præparatione, & quanta animi religione ac pietate, quàm supplici mente, & humiliter etiam corporis habitu ad illud sumendum accedere debeat: quantaq; rursus illis supplicia parata sint, qui indignè illud suscipiunt.

De qua quidem animi præparatione hæc potissimùm tradet.

Primùm fidelis vnusquisque ita paratus & instructus esse debet, vt huius sanctissimi sacramenti fidem integram teneat, rectèq; discernat mensam à mensa, hanc sacramentum ab alijs profanis, cibum à cibo, celestem hunc panem à communi; rectèq; sciat, in communionem quæ sub

vnâ tantum specie à laicis sumitur, integrum corpus Domini etiam cum sanguine summi: & cum frangitur hostia consecratâ, totum Christi Corpus in qualibet parte fracta contineri.

Conscientiam præterea scrutetur diligentissimè, nè fortè exitiali aliquo peccato contaminatus sit, vt prius contritionis, & confessionis medicamèto eluatur. Atque omnem præterea adhibeat diligentiam, nè quid ei desit ad summam animi integritatem, & innocentiam.

Omnem distractionem mētis, animiq; somnolentiam depellere studeat.

Exquirat tacitus à seipso cum timore, an illud Petri Apostoli sibi vsurpare liceat: Domine, tu scis, quia amo te. Ioan. vi.

Videat etiam, num pacem cum alijs habeat; num proximos verè, atque ex animo diligat.

Ab omni desiderio delectatione, omniq; sensu amore, quo diuinæ charitatis studium languescit, purum integrumq; animum conseruare studeat; sensusq; omnes seueritate quadam moderata cohibere, etiam in rebus licitis.

Sanctis itè meditationibus ad Dei amorem inflammet animi sui voluntatem, quam pietatis operibus etiam sæpè confirmet.

Desiderium celestis huius cibi sumendi excitet duplici consideratione; quarum vna est, vt altissimi huius sacramenti excellentiam, admirabilesq; fructus, salutaresq; utilitates meditetur; altera est, vt tacitus etiam cogitet spiritualem inopiam suam, spiritualesq; suas necessitates. Humilitatem autem, & reuerentiam excitabit, ita vt secum mente reputet, totum Christum ibi esse, quem in Cælo Angeli adorant; ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, & pauent; cuius gloria plenum est Cælum & terra. Deinde cogitabit, quàm indignus ipse sit, cui tantum diuinumq; beneficium à Domino tribuatur.

Atque his quidem, alijsq; meditationibus ita se parabit, vt & sancto desiderio, & summa reuerentia, humilitateq; ad sacramentum huius pabuli celestis accedat.

In communionem ipsa, vt sanctè religioseq; fideles animo versentur, hæc docebit